

(i) operat.
chirurg.
part. 1.
p. 46.

§. 32. Hoc tamen non negandum, posse & citra hanc sectionem anginam curari, adeoque ad eam non esse confugiendum, nisi alia frustra fuerint adhibita remedia, & ubi metus est, ne, si æger ita relinquatur, manifestò suffocatio filum vitæ sit abruptura. *Crudeles operationes*, inquit *Hieronimus Fabricius ab Aquapendente* (i) *ego semper abhorruì, præcipuè quando necessaria non sunt, necessarias verò abhorrere prorsus non oportet: nam necessaria, & quæ subitam portendunt mortem, si non sunt, quantumvis difficiles, crudeles & periculose, administrandæ omninò sunt, non quod certa in eis fiducia sit, sed quod dubia spes certâ desperatione sit potior.* In sequentibus satis dilucidè refutat & diluit objectiones, & rationes ab *Aretæo* contra hanc perforationem trachæ in medium allatas.

§. 33. Modum artificiosè hanc operationem instituendî qui desiderat, adeat *prædictum Chirurgum loco citato*; uti & *Fridericum Monavium in tractatu de Bronchotomiâ.*

CAPUT XI.

HARMACIA subministrat lenientia, præparantia, evacuantia, repellentia, derivantia, digerentia, resolventia, maturantia, abscessum rumpentia, specificâ vi adversantia, alterantia & corroborantia, tam interna, quàm externa.

§. 1. Ut primæ viæ à saburrâ vitiosorum succorum quodammodo repurgentur, & simul quoque aliqualis fiat revulsio, haud inconueniens erit, crebrius alvum *chysteribus* sollicitare. v. gr.

<i>Rx.</i>	<i>herb. malvæ</i>	<i>rad. alt.</i>
	<i>atripl.</i>	<i>lil. alb. añ. ʒj.</i>
	<i>beta</i>	<i>sem. lini</i>
	<i>branca ursin.</i>	<i>fenugr. an. ʒ iij.</i>
	<i>mercurial. an. mʒ.</i>	<i>prunor. damasc. n. x.</i>
	<i>Coq. in s. q. aq. s. Colat. lbj.</i>	<i>adde</i>